Vir Maxime Reverende,
observanter colende.

Novissime in Nundinis Brunsvicensibus Codices vestri MScti, quibus usus Serenissimus, cum Concilii Constantiensis rebus ad vos redire jussit. Nec dubito, quin recte sint redditi. In Basiliensis Concilii rebus concinnandis nunc occupamur. Te quoque latere nolim, luculentam Scriptorum Wallenrodianorum spem nobis esse factam à Cancellario Ottingensi Viro illustri. Quam gaudeam, dici non potest. Constabitur minimum

Vir cl. M. Lautensack, generosissimi Dni de Lautensack agnatus, historiae elegantiorumque literarum peritissimus, qui Ratisbonam tendit, Limbachii Legati Hannoverani filios formaturus. Cui, si quod officium praestiteris, Brunsvicensibus, tui amantissimis, fortius te obstringes. Vale Theologorum optime, ac vive feliciter, neque amare perge

Viri Max. Rever.

Helmst. d. 9. octob.
A. 1701.

Tui observantissimum

H. v. d. Hardt.